severiores

redij. præsertim hac spe productus quod iam profligatis DEI manu Sophistis ministri sanariores
bene auspicati essent ἐυταξίαν Euangelicæ puritati congruentem: decreuisseq; Senatus, ut nos eadem
cum DEO in Scholis moliremur. Hic ego Bremæ quæ me antea multis beneficijs suum fece-
rat, tanquam alteri parenti, non potui deesse. Cæterum ea spes ministros meos frustra habuit.
Dominus enim ingrata populi defectione accensus, omnes eorum conatus irritos fecit. Ego mul-
tis magnis malis tanquam fustibus a Domino contusus, vel pertinatia mea, vel ærumnis, sic mol-
liui Senatum et populum, ut in mea vocatione Scholastica non minore fruar doctrinæ consci-
entiæq; libertate, quam vel isthic, vel Heidelbergæ sperare possem. Sed ea quam diu fruamur
in DEI positum est manu, nonnunquam enim grauiter concutitur, interdum velut oppressa ærumnis
& terroribus, rursum emergit. Quid igitur restat? nisi ut qua fama quaue infamia persiciam opus
delegatum, nec si me vellicet totus mundus (instar monedulæ quæ nidum suum deserit) absterreri me
patiar à tam necessaria vocatione. Quæ nisi me retineret (ut ante ceperam dicere) nihil esset mihi
optabilius, nihil magis in votis, quam cum viris doctisq; et pijs, hoc est, cum tui similibus vel toto æuo
consumi. D. L. Rhetius solebat me facere certiorem si quid vel in Gallia vel in Brabantia
accidisset quod mea scire interesset, miror nihil audiri nunc prorsus, quasi sit conclamatum ita al-
tissimum est ubiq; conticinium. DEUS extenta manu sua laxet claustra, leuet oppressiones, ex-
tollat capita sororum et fratrum nostrorum. Amen. Vale dilecte Siluane cum pia uxore, cum Bal-
tico nostro et Dn. Cornelio Rhetio. Ineunte vere si viuemus et volet Dominus, venietis huc ad
hominem vestri studiosissimum, non mediocrem mihi consolationem allaturi. rursus vale. postrid.
Calend. Februarij. Bremæ. inter turbulenta negocia et querimonias Scholasticas. Amicus & fr.
~~[illegible]~~

Johannes Molanus.
1. 5. 6. 8.

Nr. 185) M. Corn. Rhetio [illegible] Emdæ. Pax Christi.

[= Msc. Nr. 12; Nr. 195]

Quamuis sim varie distentus dilecte frater Corneli Rhetie. tamen ne quam meas ad Siluanum li-
teras videris occinat mihi vulgari sermone protritum prouerbium. Nouos amicos parans veterum
ne obliuiscere. non potui committere ut videri possim parum tui memor fuisse. Scis mi Domine
quod te in multis plurimum amauerim tum propter egregiam eruditionem tum propter commune
studium pietatis. Itaq; non est futurum donec hunc solem intuebor, ut meo erga te amori quid-
quam decedat. Meas miserias et meæ familiæ vulnera prius intellexisti quam ego. de tuis rebus
qua ratione cum tua filiola isthic viuas, qua spe nitaris, quid exspectes valde cupiam ex te cognosce-
re. Slachmalderus huc nuper adduxit suam coniugem sed ea mihi non datum est frui. Venerunt
ad me sub horam .4. à meridie postridie quam sunt urbem ingressi. ante quartam in Scholam re-
tractus sum. ad cœnam accessi hora sexta. In publico diuersorio ubi et alij comessabantur, quis
potuit locus esse familiariter colloquendi? postridie mane ad eam recurri iam equi iungebantur. as-
sedi eius apud fornacem, quærens sermonem, inde deduxi ad plaustrum blande alloquens, sed illa
ne valedixit quidem. Credo eam vel meo stupore quem longa oppressio mihi attulit, vel aliqua
dicendi libertate qua mihi talium amicorum raro interuentu solutus, solet erumpere. alieniorem
factam esse. Si nihil est eiusmodi oportuit eam magna quapiam animi mœstitudine attonitam
fuisse. Quidquid causæ fuit, quum eius pietatem multi mihi prædicauerint, auxit animum me-
um ~~non mediocriter~~ non mediocriter quod non datum sit paulo uberius frui. Eius maritus post
geminum naufragium hortari cepit ad tertiam nauem comparandam. Sed ego ita sum deiectus
fractusq; ut meus pusillus animus neq; hunc ~~[illegible]~~ 2 [illegible] queat depellere, neq; sese extollere. Adolescentes
alo decem. ancillas duas. Et quidem adolescentibus facile prospicio ne quid desit, sed familia victi-
gal famulæ dissipant, quæ nobis diu parta sunt, paruo tempore subrepta feruntur. Sed parui
facio. Scio me meaq; Domini esse, quæ seruare solicitus nequeo, æquus et patiens amitto. Video exem-
pla tot piorum fratrum quos fortunis suis lapsos paupertas peregre exagitat. domi fur exest
uberius. Benedictus Deus et Dominus noster Jesus Christus qui cogitatione rerum æternarum subinde
me refocillat, & sui Spiritus gratia lapsantem meum animum sustentat. Prope adest mi frater
quum illum præsentem DEUM et Saluatorem nostrum exemptj doloribus intuebimur, illum perennem
fontem bonorum æterna gratulatione celebrantes. Vale vir optime simul et mihi carissime. postrid.
Calendas Februarij. 1. 5. 6. 8. Bremæ.

auxit.

Johannes Molanus.